indignata, tu niger, tu uilis, tu tristis ille canniculus esse uolebas
qui tantam tegere uirtutem dignus esset? nonne partim inuidebas, plus
tamen erubescebas credo, quod tam eximia sub eo, te potissimum digna
laterent ornamenta decoraque uirtutum? Sed quid adhuc Conrade
desideras? si certissimos morum indices Gratiæ oratorum prin-
cipi esse oculos credis? quid dubitas de uetari huius cœnobii discip-
lina? sed quid ita loquor? ignosce non enim ueterem, sed nouam ex-
pertus es, pueros enim adortus, quid obsecro in imbecilli sudinæ hac
ætate (non dicam inuictum) sed quod non facillimè uinceres hac
uisti? sed cessisti, comis impugnasti, quid uerò comis ob natiuas
non in pueros tantum sed humanum genus omne blanditias falla-
cius? succubuisti, oculos denique queis nihil est magis uolaticum allex-
isti, sed ne hilum quidem efficere ualuisti, ô igitur uictoriam
uerè laudabilem lætam uictoribus nec uictis ut fieri plerumque sol-
et, tristem aut calamitosam, utrique lætam utrique exoptatam,
sed cumprimis maximèque tibi Galle Beatissime Parens, quâ deunre
qua Cœli parte hanc obtentam esse uidisti iucunda fuerit necesse
est, quis enim non è filii sui triumpho gaudium percipiat pater? aut
quis filius triumphi participem nolit esse patrem? uicerunt filii
lætare pater, triumphant filii, triumpha pater, tu in Cœlis, hi
in terra, tu immortalis, hi uerò mortales, quid? ergóne pulcherrimi huius
facti memoria interibit, atque emorietur? uirtute quamuis mortales sumus
reddimur immortales. sed ô miseram te hodie Pomonam, tu ad pueriles
pedes abiiceris, iacens contemneris? et ne unius quidem oculi intuitu
digna censeris? ô tempora ô mores! nunquid te olim Regina Iouisque et
soror et coniux, Iuno cum desiderio desiderauit? nonne tu almæ quon-
dam Veneri, nonne Palladi in uotis eras? nonne te suis ipse potentis-
simus Romanorum Imperator manibus tenere sustentare dignatur? nunquid
per te antiquus ille serpens protoparentes uicit? imò terrarum orbem
uniuersum uicit subiugauit atque calcauit? sed i nunc quærere inge-

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 316v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/316v)